



Albertus filius fuit Friderici electoris Saxoniae. Hic post patris obitum cum Ernesto fratre Saxoniam diuisit, atque sibi Thuringiam & Mysniam seruauit. Erat is egregius princeps, & multis uirtutibus praeditus. Itaque Friderico Caesari gratissimus extitit, atque res praeclearas Imperij nomine expediuit. Cum etiam postea Maximilianus Caesaris filius in Flandria captiuus Bruggis detineretur, Albertus eò cum exercitu profectus hostes compescuit, atque sua industria principem liberauit. Hinc factum ut postea à Maximiliano Frisiae & alijs maritimis regionibus praeficeretur. In ijs locis Albertus aliquot propugnacula contra

seditiosos erexit, atque eis filium suum praefectum reliquit. Cum autem Frisij filij aetatem contemnerent, Albertus exercitu conscripto contra hostes profectus est. In ea expeditione Frisios superauit, atque Groningam obsedit. Verum cum uictoria in manibus quasi esset, Traiectensis praesul arbiter factus bellum composuit, atque Alberto honestiores pacis articulos concessit. Cum hoc modo Albertus magna gloria Saxoniam administrasset, atque pro Caesare multas expeditiones hinc inde suscepisset, tandem aetate fessus anno post natum Christum millesimo quingentesimo obiit, & filijs suam ditionem gubernandam reliquit. Alb. Crantz, in Sax. lib. 13. cap. 27.